Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1791
Quelle:
Copyright:

CCCCLIV.

98 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 107. f. est *Pars III. Adversariorum Job. Fabri* in caussa Religionis, eadam Donationis formula excusa et calamo exarata, instructa, ut praecedentes duae, continetque I. *Responsionem latinam Protestantibus datam 2. Aug.* 1530. quae habetur *Coelestini Hist. Comitior.* T. III. p. 1. Deest tamen in *Cod.* nostro Praeloquium et statim ab Articulo I. incipitur: *Imprimis cum articulo primo confiteantur* &c.

II. continet a *fol.* 49. eandem *Responsionem in vernacula.* Atque hic adest et Praeloquium, quod sic orditur: *Die Römische kayserliche Mt. vnnser aller genedigister herr. Alls sy verruckter tagen von den churfursten von sachsen* &c. Partem hanc ex *Fabri* mandato subscripsit *Christoph. Seyfrid.*

CCCCLV.

99 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 150. f. est *Pars IV. Adversariorum Job. Fabri* in caussa Religionis iisdem formulis a *Wenc. Cedlitzer* subscriptis instructa, continetque I. Sententias *Ulrici Zwinglii* ex variis ejus Scriptis excerptas, quibus *Faber* ad informanda sua contra illum Opuscula deinceps usus fuisse videtur.

III. et quidem a *fol.* 95. *Chronicon Bohemiae* ab anno MCCCXLVIII. ad finem anni MCCCCXXI. pertingens, *Job. Husso* favens et turbas Religionis ergo coortas praecipue enarrans, insertis etiam compluribus Documentis lingua gentis conceptis. Orditur vero illud hoc modo: *Anno domini M. CCC. XLVIII°. Karolus Imperator fundauit in Praga Studium Vniuersale in Theologia, Jure Canonico, Medicina et in artibus. Cuius locus primo fuit in domo contigua cimiterio S. Francisci* &c. Definit autem imperfectum: *Et cum Zizka cum suis prope Zluticz ad montem dictum Wladarz perueniret, et cum curribus et equitibus ascenderet, se cum suis conjungens curribus* — — —. A 26. *Junii* 1420. usque ad finem *Diarii Belli Hussitici Laurentii Byzynii*, melius *Brzezinae*, quod mancum *J. P. Ludewig* T. VI. *Reliq. Mss.* ad p. 124. inseruit, eadem paene, quae *Chronici* nostri, verba legas, ut adeo *Brzezinae* Chronicon ab alio in principio auctum interpolatumque credamus. De eo Cl. *Raph. Ungar* in *not.* ad *Bob. Balbini Bob. doct.* p. 233.

CCCCLVI.

Codex chartaceus lat. germ. 100
Sec. XVI. Folior. 120. f. est *Pars V. Adversariorum Job. Fabri* in caussa Religionis, donata, ut praecedentes, *Collegio D. Nicolai* praeter formulam impressam id manu etiam adtestante *Gregorio Rucb.* Habetur hic *fol.* I. Confutatio